

INTRODVCTIO SPECIALIS  
AD ORGANVM PRINCIPIS PERI-  
PATETICORVM.

*39h 8*  
**SIVE**  
**ISAGOGE POR-**  
**PHYRIANA.**

*Quam, preside*  
**PAVLO GRAN-**  
**DINGER SOC. IESV**  
**PROFESSORE LOGICES,**

*Publicè defendet*  
ADM. REV. AC PRÆNOMINIS DOMINVS  
**WOLFGANGVS**  
**CHRISTOPHORVS A**  
**GEMMINGEN, CATHEDR. ECCLES.**  
*AVGVST. CANONICVS,*

*Logice Studiosus.*  
**ANNO COMMVNIS HOMINVM SA-**  
**LVTIS, CIO. DIC. XXX.**

*DIE 24 SEPTEMBR. HORA VIII. <sup>ad</sup> ANTE, ET*  
*II. <sup>ad</sup> POST PRANDIVM; LOCO GYMNA-*  
*SII CONSVENTO.*

**AVGVSTÆ VINDEL.**  
**TYPIIS ANDREÆ APERGERI.**

PRÆNOBILI, AC STRENUO  
DOMINO

REINHARDO  
A GEMMINGEN, IN  
HORNBURG, ET MICHELFELD:

NOBILIS, LIBERI, ET  
EQVESTRIS S.R.I. ORDINIS PER  
KRÆCHGOLAM, IN SVEVIA,

ROGATO TE-  
TRARCHÆ, ETC.

DOMINO SVO COGNATO BENE-  
VOLENTISSIMO;

HÆC DE

VNIVERSALIBVS PHILOSO-  
PHEMATA,

SINGVLARI GRATI ANIMI AFFECTV

D.D.

WOLFGANGVS CHRISTOPHORVS  
à Gemmingen, Canonicus Cathedr. Eccles. Augus.



Univ. Bibl.  
München



## DISPUTATIONIS

# Argumentum, & Partitio.



Sagogen, seu (quod idem est) Introductio-  
nem ad Organum Aristotelis, Genera-  
lem de natura Logicæ, nuper dedi-  
mus. Supereft Jſagoge, seu Iuropuctio, Spe-  
cialis; quam nempe de vniuersalibus  
olim M A L C H V S quidam, cognomeno  
to P O R P H Y R I V S, elucubravit; homo  
alioqui nefarius, ac perduellis SS. Fidei no-  
stre non desertor solum, sed etiam oppugnator. Et verò perutilem, ac  
planè necessariam esse, saltem aliquam, Vniuersalium seu Præ-  
dicabilium cognitionem ad percipienda ea, quæ cùm in Prædica-  
mentis, tum in reliqua sua Dialectica Philosophus persequitur, non  
modò Prophyrius hic desertè affirmat; verùm ipsa adeò Prædica-  
bilium natura, quam deinceps his in Thesibus explicare aggredi-  
mur, abundè confirmat. Cæterum quòd in re difficult, & non nullius  
momenti, tam perfido vt amur Duce, haud ea nobis est ratio, quasi  
infami Apostolæ soli, ac per se credamus omnia; sed quia is, quidquid  
in hunc suum codicillum congesit, non tam è proprio, quæm alieno,  
depromsit penu; Platonis, inquam, atq; Aristotelis: quorum qui-  
dem illum in ijs, quæ vera essent, omnino audiendum pre reliquis,  
Magnus Augustinus censuit; isti verò, vt in alijs, ita & in hac  
de Vniuersalibus doctrina, dudum Ecclesia, etiam in suos, per-

**ISAGOGE**

misit magisteriu. Itaq; et si hec Platonico-Aristotelico-Porphyriana Isagoge ferè tantum tractet de prædicabilibus in specie; nos tamen vberioris institutionis gratiā, & quia intelligentia Vniuersalium in Communi admodum conducit, imò necessario requiritur ad perfectam notitiam Vniuersalium in Particulari; utraq; quo ad feret nostra tenuitas, exponemus in praesenti disputatione: quam promde totam in duas tribuimus partes; quarum una Prædicabilia in Genere; altera eadem docebit in specie; hac utrobiq; seruat à Methodo ac lege; vt, instituti nostri memorares, potiorem semper habituri simus rationem Vniuersalis Logici, quam Metaphysici. Quanquam istud quoq; subinde propter illud nec omnino poterit, nec debebit prætermitti.

## PARS PRIMA.

*De vniuersalibus in Communi.*

## THESES I.

**V**NIVERSE in Generalissimo suo conceptu est unum quid pertinens ad multa. Ita Fon. lib. 5. Met. c. 28. q. 1. s. 1. & alij passim. Potest autem vna aliqua res pluribus modis pertinere ad multa; respiciendo scilicet illa vel tanquam Effecta, & hinc V N I V E R S A L E in Causando, ut Sol, Cælum, Deus; vel tanquam Significata, vnde V N I V E R S A L E in significando seu Representando, vt voces tum vniuocæ, tum æquiuocæ; item conceptus, ac species præsertim Angelicæ &c. vel deniq; tanquam subiecta, in quibus inest, aut de quibus dicitur; & ab illis quidem V N I V E R S A L E in Essendo, ab his autem V N I V E R S A L E in Prædicando denominatur; vt Animal, Homo, Brutum. Prioris generis *Vniuersalia* non sunt huius loci; vti nec *Complexa*; qualia sunt integræ enunciaciones, notis vniuersalibus præsignes; aut Axiomata, seu Dignitates ac Maximæ, facile ab omnibus admitti solitæ; vt Omne Totum est maius sua parte &c. *Vniuersalia* generis posterioris huc quidem spectant, sed ita tamen, vt quemadmodum jam antè monuimus, V N I V E R S A L E in Prædicando (quod vel ideo Logicum appellatur) consideretur per se; V N I V E R S A L E autem in Essendo, seu Metaphysicum non nisi propter ipsum.

## II.

Porro V N I V E R S A L E Incomplexum (quod quia-

caret complexitate Propositionis, etiam Simplex solet appellari) more aliorum concretorum, in adæquata sua ratione duo inuoluit; *Formale*, & *Materiale*. Pro *Formali* dicit *Vniuersalitatem*; pro *Materiali* id, quod *Vniuersalitati*, ceu formæ, substat. De vtroq; controuertitur apud auctores, quidnam ea sint. Atque in primis quidem ad *Materiale* quod attinet; sunt, qui id prorsus negent, tollentes vniuersim non solum *Vniuersalia*, sed & *Scientias* omnes; eo quod existiment, quidquid vspiam sit, id omnino *Singulare*, caducum, atque sensibile esse. Verùm hi sane quām insciti Pseudophilosophi, quidquid demum in *Epicurea* oggruniant harā, digni non sunt, qui vel verculo refutentur. Vide S. Th. trattat. i. de *vniuers.* vbi memorat, Opinionis huius asseclas Porcos fuisse nuncupatos obbrutam planè, & homine indignam, quam tradidere, doctrinam.

## III.

At etiam Plato ipse hac in re male diuinus fuit. Nam hic ( si Aristoteli credimus ) nescio quas commentus est *Vniuersales substantias*, seu *Idaas*; quæ nimis & à parte rei existerent ab æterno per se se extra omnia sua singulæria, & tamen eorundem essent *communes Natura*, quarum, ceu verorum principiorum, participatione suum esse haberent *Individua*. Quod quām incommodum, imò impossibile sit, nemo est, qui non intelligat. Quomodo enim, quælo, formæ illæ aut possunt esse *Separata*, si *Natura*? aut quomodo *Natura*, si *Separata*? Cūm vtique nihil

hilæquè coniunctum atq; internum sit rebus, quām  
sua cuiq; Natura. Præterquam quòd Naturæ huiuscemo-  
di, hoc ipso Communes seu vniuersales non essent, sed singula-  
res; quia realiter atque immediate existerent seipsis.  
Omne autem (vt rectè Boëtius lib. de unit. & vn.) quod est, seu  
dicto modo existit, ideo est, quia unum numero, adeoq; singula-  
re est; vt inductione patet, ac demonstratur in Metaphy-  
sica. Atq; hinc est, quòd nonnulli inficiuntur, ita Platô-  
nem sensisse; eo quòd sibi persuadere nequeant. Philoso-  
phum cætera perspicacissimum adeò hic fuisse halluci-  
natum. Sed & Constantiensc Concilium inter alios er-  
rores Ioannis Huß Thesin De realium atq; aeternorum vni-  
uersalium positione, &c. damnasse, testatur Ioan Eck. q. 2. a.  
2. concl. 1. ex Æn. Sylu. & Gers. in Epist. de laud. Bonan.

## IV.

Medium sibi tenuisse videntur, sed non ideo bea-  
ti Nominales; qui neque Vniuersalia omnino negârunt,  
neque tamen etiam Res esse Vniuersales, concederunt;  
sed sola Nomina: vnde & celebrem illam sortiti sunt de-  
nominationem, quam hodieq; passim in Lycæis sine in-  
vidia retinent. Ac ne quis, hisce tam benevolis voca-  
bulorum patronis fauentior, existimare possit, impingi  
illis sententiam, quam forte ne somniarint quidem;  
placuit formalia ipsorum verba subiungere. Ita enim  
expressè Occam, Venerabilis (vt vocant) Opinionis hu-  
ijs Inceptor, seu potius Instaurator, I. p. aur. sua Log. c. 15. Nullum,  
inquit VNIVERSALE est Substantia, quomodo cumq;

con-

consideretur; sed quodlibet VNIVERSALE est intentio anima, seu Conceptus. Loquitur autem hic auctor de Vniuersali, quod ipse prius c. 14. vocarat Naturale; aitq; illud esse Signum naturale, PRÆDICABILE de pluribus, &c. Idem Occam Quodlib. 4. q. 19. nec non Quodlib. 4. q. 13. & 23. multis ostendit, Prædicamentum non habere nisi triplex esse; in Mente, in scripto, in Prolato. Item, Prædicamentum quidem componi ex substantijs primis & secundis, sed quæ sunt conceptus, & nomina, nullo modo autem ex rebus extra animam, quæ non sunt signa, &c.

## V.

Vestigia Antesignani sui nauiter seuti sunt Gabriel Biel, Ioannes Eckius, Briccotti, alij. E quibus Gabr. in I. d. 2. q. 7. in terminis, nulla res extra animam, inquit, nec per se, nec per aliud, reale vel rationis, nec qualitercumq; consideratur, vel intelligatur, est VNIVERSALIS, nisi forte signa ad placitum instituta; quæ sunt res singulares, & dicuntur VNIVERSALIA significacione vel PRÆDICTIONE. Joan. Eck. statim in premiss. I. d. 2. q. 2. Prædicab. disertè asserit, Duntur at res significantes esse VNIVERSALIA; scilicet scripturas, Voces, Conceptus. Atq; vt se suosq; Connominales clarius explicet, ad tres illas qq; à Porphyrio in Proemio Isagoges propositas sic respondet. Ad I. <sup>am</sup>. patet, inquit, VNIVERSALIA scripta & Vocalia existere exterius; VNIVERSALIA vero Mentalia in intellectu existunt. Et paulò post: VNIVERSALIA sunt solum in intellectu, ac in alijs signis significantibus, non significatis. Ad II. <sup>am</sup>. VNIVERSALIA Men-

talia

Vocalia corporis sunt expertia; Vocalia corporea sunt Quantitatisues  
 Scripta corporea sunt Substantialiter & Quantitatibus; dicunt enim  
 substantiam, quæ protrahitur, figuratur, & delineatur, ut atrac-  
 mentum. Ad III. <sup>am</sup>. Logica VNIVERSALIA Scripta viden-  
 tur; Vocalia audiuntur; Mentalia vero, uti Mens ipsa, nullo sensu  
 percipiuntur.

## VI.

Hæc, atq; alia similia complura sibi somnia fingunt  
 vocabularij isti Philosophi; sed num conuenienter Ari-  
 stoteli, S S. P P. alijsq; D D. tum Theologis tum Philo-  
 sophis, atque ipsi deniq; rationi, mox videbimus. Cer-  
 tè Aristoteles expressè affirmat contrarium; dum  
 περὶ ἐγουν. c. 5. ait: R E R V M aliæ sunt Vniuersales, aliæ  
 Particulares. Quam Philosophi diuisionem esse RERVM  
 strictè, seu prout Res opponuntur Nominibus, nimis aperte  
 testatur S. Th. lect. 10. in c. l. his verbis: Ipse enim (Aristo-  
 teles) non diuisit NOMINA in Vniuersale & Particulare,  
 sed RES. Et ideo intelligendum est, quòd Vniuersale etiam dicitur,  
 quando ID, quod significatur per Nomen, est natum in pluribus  
 inueniri. Hoc autem (subdit immediate idem S. D.) non con-  
 uenit Nominibus; adeoq; nec esse VNIVERSALIA.  
 Hoc enim dicitur Vniuersale, quod pluribus naturâ aptum est inesse,  
 ait expressè Arist. 7. Met. t. 45. & 1. de part. an. c. 4. Quæ in  
 pluribus insunt, inquit idem, hæc Vniuersalia appellamus. Quæ  
 profectò loca omnia (uti & alia passim, in quibus ea  
 vniuersalibus attribuit Philosophus, quæ Nominibus  
 vel omnino non, vel secundariò tantum, nec nisi per  
 accidens conueniunt) ita clara sunt atque perspicua; ut

B

Bur-

Burlæus ac Paulus Venetus , posteaquam Aristotelis scripta accuratiū perlegissent , illico damnatis *Nomina-libus* in *Realium Philosophorum* sententiam & pedibus & manibus juerint , teste Dom. Sot. q. 1. de *Vniuers.* qui insuper addit ibid. *Reuera nemo* , qui fuerit in *Aristotele* ver-satus , negare potest. *Vniuersalia* in R E B V S .

## VII.

Grauiores Censuras , quibuscūm à P P. tum à D D. alijs perstringitur Opinio Aduersariorum ; præsertim *Anselmianam* illam , qua (præter seriam de *cautissimo ad sacrae paginae questiones accessu adhortationem* . ) *Dialecticè Hæretici* ; & *Fonsecianam* atq; *Achillinaam* , quibus importunum *Philosophorum genus* , & *scientiarum destructores* indigitantur , præ-tereo ; contentus solā Ratione , quæ doctrinæ *Realium* , à quorum parte nos hīc stamus , haud mediocriter pa-trocinatur . Nam in primis R E S vtiq; *Sciuntur* ac *De-finuntur* : ergo hoc ipso sunt *Vniuersales* . Consequentia vera est : constat enim partim ex communi Axiomate , par-tim ex 7. Met. c. 17. *Singularium neq; Scientias* , neque *Defini-tiones esse* ; cùm , saltem in hac vita , nec differentias nec proprietates eorum indiuiduantes penetremus . Ante-cedens negant quidem ac pernegant *Nominales* ; sed planè contra Rationem , Experientiam , Auctoritatem : præ-terquam quòd non videam ; quomodo , si vt *Vniuersali-tatem* ita & *Scibilitatem* solis N O M I N I B V S attribu-ant , non potiùs *Grammatici* ac *Nomenclatores* appellandi fint , quàm *Philosophi* , siquidem *Philosophia est scientia seu cognit-*

cognitio R E R V M (non N O M I N V M) vt sunt, seu per causas &c. Vide Ammon, init. predic. & Fonsec. l. 2. Met. c. s. q. 3. f. 2.

## II X.

Deinde R E S, v. g. natura humana, leporina, asinina, verè sunt in multis: ergo etiam verè de multis prædicantur; nam ad *Esse* sequitur *Prædicari* juxta tritum illud: *Esse IN fundat Dici DE.* N O M I N A autem cùm nequaquam insint multis propriè, ut paulò antè ex S. Th. retulimus; ideo nec propriè de multis prædicantur *per se* & *Principaliter*; sed tantùm loco rerum, atq; *Instrumentaliter*, scuvt signa vicaria illarum Cùm enim R E S ipsas in disputationem adducere non possimus, N O M I N I B V S vtimur pro R E B V S i. Elench. I. Adde; quòd, si *Nomina* ipsa prædicarentur per se & ut Q V O D, sensus enunciationum redderetur falsus. Non enim Homo, vel equus est *Nomen* aut *Conceptus*, sed *Res* animal: neq; cum dico: *Album est disaggregatum visus*, indicare volo; duo illa *vocabula* esse de ratione albi, sed *aptitudinem in albo realem dispertiendi visus*. Respondent; Copulam EST in enunciationibus accipi solere pro S I G N I F I C A T.

## I X.

Sed contrà est I. Nam nec *Res* nec *Nomen Homo* vel *Equus* per se immediatè significat vel *Nomen* vel *Rem Animal*; nec vicissim. Imò si *Animal* vicissim per se significat *Hominem* aut *Equum*, de quibus prædicatur; vel significat

adæquate totam naturam *Hominis & Equi*, vel neutrius totam, sed partiale quendam utriq; communem. Si 1. ergo *Nomen animal* respectu hominis & Equi non erit vniuocum; quod est contra communem. Si 2. ergo habemus intentum Natura enim illa communis *Equo & Homini*, vniuocè significata hoc *Nomine animal*, erit VNIVERSALIS. II. Responsio Antagonistarum egre-  
giè fauet Sacramentarijs Hæreticis. Ut quid enim ho-  
rum sensus de verbis Consecrationis, tanquam sinister,  
damnatus est à Conc. Trid. Si verbum EST in Dialecti-  
ca communiter solet sumi pro SIGNIFICAT? Aut si  
recte ac merito suo damnati sunt Heterodoxi illi, eo  
quòd EST communiter non sit idem, quod SIGNI-  
FICAT, quādemum licentia *Nominales*, contra comu-  
nem illud à propria sua acceptione tam audacter detor-  
quent in alienam, ad propositum duntaxat tuendum?

## X.

Contrà est III. quod grauissimus Commentator, Icannes Maldonatus Noster, super Cap. 26. Matth. scribit. Nam, Nego, inquit, Verbum Substantium EST aut Latinè, aut Græcè, aut Hebreacè; aut ullà prorsùs in lingua, quam ego nouerim, aut in sacris litteris, aut apud ullum alium auctorem, pro verbo SIGNIFICAT accipi solere, aut etiam posse; ho-  
minesq; imperitissimos, quid dicant, affirmo. Hæc doctissimus Maldonatus. Alia Nominalium responsa, vt i& obiecta aduersum nos, leuioris sunt momenti, quām, vt hīc pro-  
lixè refellantur, ac diluantur. Pleraq; peccant in eo,  
quòd

quod inter diuersos naturæ status, item inter Singula-  
ria perse, & per accidens non bene distinguant: adeoq; quid  
mirum, si nec bene doceant? Præterea istud quoq; hoc  
loci aduertendum est non perfuntoriè: nimurum, et si  
vniuersim omnia vocabula, significantia actus intel-  
lectus (quale vocabulum etiā est *Prædicare*) passiuè deno-  
minent non ipsos actus, sed eorum obiecta, seu Res; nihil  
ominus tamen, si actus intellectus seu conceptus su-  
mantur non formaliter prout signa sunt, sed materialiter seu  
obiectivè, prout scilicet etiam ipsis significantur atq; con-  
cipiuntur reflexè, ut sic eos posse prædicari de pluribus,  
adeoq; esse vniuersalia. Idem dic de alijs signis, pari ra-  
tione consideratis.

## XI

QVÆRES; quomodo Materiale vniuersalis sit unum?  
 R. Formaliter. Nam vniuersale, materialiter ac secundum se spe-  
ctatum, vtq; est Ens formaliter, vt constat ex dictis: ergo  
etiam est Vnum formaliter. Eo quippe modo aliquid esse unum,  
quo est ens; Ait rectè Murc. q. s. d. I. de vniuers. Deinde quid  
quæso, aliud est, esse Vnum formaliter, nisi habere rationem  
formalem substantia seu essentiæ eandem? Atqui vniuersale,  
quo de hīc agimus, eandem essentiæ rationem forma-  
lem habet in omnibus suis inferioribus, est enim Vni-  
vocum: ergo nihil illud est, quo minus sit formaliter unum.  
 Hinc non male Porphyrius c. 3. inquit: *Participatione spe-*  
*cies plures homines sunt unus homo, non numero, ut patet; nec*  
*similitudine tantum: omnis enim similitudo supponit,*

tanquam fundamentum suum, vnitatem formæ, secundum quam aliqua dicuntur similia: ergo formaliter. Sed & Aristoteles ipse, eadem inquit, *ratio animalis est in homine & in equo.* Apud Lorin. q. 2. Item; eadem natura dia-phaneitatis est in aere & in aqua. Jb. Deniq; idem: Dicuntur autem vnum, & quorum Genus vnum, differens oppositis differentijs; ut homo, canis, equus, &c. 5. Met. t. 10. ac ne denuo quis Similitudinistarum interpellet, immediate additur: Quoniam omnia animalia sunt propinquissimo modo, sc. essentialiter: seu, vt S. Th. lec. 7. interpretatur, *Omnia communicaant in animali, quasi in uno genere, subiecto differentijs.* Auer-roës in eundem commentatus locum, *canis* (inquit) & *homo, & equus* sunt vnum non Similitudine, sed in Animalitate. Adi Scot. in 2. d. 3. q. 1. Caiet. c. 4. de Ent. & Essent. alios.

## XII.

Ex his atq; alijs passim locis Philosophi sanè quam mirum est, reperiri adhuc, qui rebus ante operationē intellectūs *Vnitatem Formalem* abiudicent: cùm tamē contrarium Ratio ipsa, præter locupletissimam auctoritatem non vulgarium TT atq; PP. abundè videatur confirmare. Certè enim uero, nemine cogitante, Castor cum Polluce, gemello fratre; vel Pylades cum Oreste, sodale intimo, haud dubiè non similitudine solum, verum etiam essentiā ipsā, adeoq; formaliter, magis olim conueniebant; quam vel anser vetulus cū Nestore, vel Atheniensis noctua cū sua Pallade: ergo & his illi magis inter se vnum erant formaliter; cùm conuenientia formalis fun-

fundetur in *Vnitate formalis*, seu *essentiali*. Adde, quod *Vnitatis formalis* passim definiatur *Negatio diuisio[n]is formalis*, seu *Indistinctio quoad prædicata essentialia*. At istā *Indistinctiōne* habent V.G. Petrus & Paulus inter se à parte rei: igitur & *Vnitatē formalem*. Min. Prob. Quomodo enim alioqui possent, quā homines, vna prorsus & eādem definitione definiti? aut quomodo vox *Homo*, quæ respectu illorum, confessione omnium, vniuoca est, non potius foret æquiuoca? aut demum quomodo ijdem duo fieri possunt *vnum formaliter operā solius intellectūs*, si non sint reapse antea?

## XIII.

Aiunt quidem aduersarij, per *denominationem extrinsecam*: sed contrā. Petrus & Paulus *in se* nihil habent, quo differant *essentialiter*; itaq; reuera *in seipsis*, & non per *denominationem externam*, habent *negationem diuisio[n]is formalis*, seu, quod idem est, *Vnitatem formalem*. Esto enim e. c. DEVS, quia per eandē essentiam suam *vnum est & materialiter & formaliter*, si per impossibile diuideretur *materialiter* seu *numero*, hoc ipso etiam desineret esse *vnum formaliter* seu *essentialiter*; *Homo* tamen, qui secundūm se & ex *essentia sua* non est *vnum numero*, etiam si diuidatur *materialiter*, manet tamen *vnum formaliter*. Tela partis aduersæ minus feriunt, vt pote dudum *præuisa ab Angelico*: D. I. p. q. 11. a. 1. ad 2. vbi, nihil prohibet, inquit, id quod est *vno modo diuisum*, esse *alio modo indiuisum*: sicut, quod est *diuisum numero*, seu *materialiter*, est *indiuisum secundūm speciem*, seu *rationē specificam*, adeoq; *indiuisum formaliter*. Hinc facile.

facile solues vnum eundemq; hominem ligatum simul  
& fune in patibulo, & monili in palatio quemq; aduer-  
sarij addicunt Orco, cum ipsum tu etiā beabis coelo, &c.

## XIV.

Neq; verò etiam noster loquendi modus difformis  
est vel SS. LL. vel SS. PP. licet cum B. M. Boëtio in cap. 2  
Porphyr. & plures homines in speciali homine vnū, & specialem vnu  
in pluribus (quodammodo) infinitum dicamus. Ita enim ip-  
sémet diuinus Paulus ad Ephes. 4. una Fides, inquit, Vnum  
Baptisma: & tamen quot millia Fidelium? quot millio-  
nes Baptizatorum? Ita S. Anselmus: Omnes Angeli sunt  
vnius natura. Ita Damascenus: Non possumus dicere, quantam  
aliud est Petrus, & aliud Paulus, quia falsum dicimus: Natura enim  
vnum sunt; non sunt vnu numero. Ita deniq; S. Fulgentius,  
qui doctrinam nostram clarissimè illustrat, cùm ait c. 2.  
de fid, ad Petr. Licet Caro Christi & omnium hominum vnius  
eiusdemq; naturæ sit, &c. Vnius, inquit, eiusdemq; naturæ; ut  
que non vnitate Vniuersali, quæ singularibus, qualis fuit  
caro Christi, non conuenit; nec identitate Individuali,  
seu numerica; vt per se patet: Ergo essentiali. Lege S. Atha-  
nas. tract. de Definit. S. Basil. 3. contra Eunom. SS. Greg. Nyct.  
l. de creat. hom. c. 18. & Nazianz. Orat. in laud. virg. &c.

## XV.

Explicato Materiali VNIVERSALIS succedit eius-  
dem Formale: quod partim etiam ex Vnitate quadā, par-  
tim ex Aptitudine essendi IN, & Prædicandi DE pluribus con-  
surgit. Cæterum ista Vniuersalis vnitas etsi sit intrinsecana-  
turæ

turæ Communi, haud tamen est Realis propriè; vt potest nec Materialis seu Numerica, nec Formalis seu Essentialis; saltem absolute & simpliciter loquendo: utraq; enim illarum reperitur à parte rei in Singularibus; non item *Vnitas uniuersalis*; quæ vel ideo quoq; *Vnitas Precisionis* appellari consuevit, quia resultat in natura, quam primùm hæc à suis inferioribus præscinditur, seu abstrahitur operâ Rationis. Vnde & *Indivisio numerica Rationis* nuncupatur; estq; *Priuatiua*, non merè negatiua, ut illæ duæ. Atq; hinc facile etiam colligas, quo in *statu Natura* sit *Vniuersalis*, saltem ex parte *Uniuersitatis inadæquate*, quæque in *Vnitate* modò explicatâ consistit: videlicet non in *statu Existentiæ Realis* (in quo natura semper est *Singularis*) nec in *Statu Essentiali* (liquidem *vunità Vniuersalis* primùm naturæ per intellectum aduenit) ergo in *statu Existentiæ Obiectiua*.

## XVI.

Vocamus autem *statum Existentiæ Obiectiua* seu *Abstractioni*; in quo naturæ conueniunt prædicata, intellectualem ipsius à singularibus *precisionem consequentia*. *Statum* verò *Existentiæ realis* seu *Contractiōnis* dicimus; in quo naturæ *Individua*: *Statum absolutum* seu *Solitudinis*; in quo eidem non nisi *Essentialia* ac *Propria* competunt attributa. Ex quo patet, etiam *Aptitudinem uniuersalem* extra prium illum *statum* haudquam conuenire naturæ, nisi forte fundamentaliter tantum, & aliquo modo remotè: Neq; enim ea verè *singulare* quid est, nec

*Essentiale, nec proprium.* Adde; quod, etsi, ut focial ipsius *Vnitas*, suo modo insit naturae communi; attamen neque *positiva*, neque *realis* quædam potentia est, sed pura purta. Non repugnantia rationis; nec una aut *simplex*, vt aliqui perperam existimant, sed *gemina* seu *duplex*, utpote *duplicem* quoque tollens *repugnantiam*, & ad actum essendi in multis, & ad actum de multis *predicandi*. Quorum iste actus quia Naturam tantum extrinsecè, ille intrinsecè contrahit, rectè concludas; *Logicam hanc potentiam per actum realis inexistentiæ perire*, non item per actum *prædicationis*; adeoque Naturam ipsam desinere esse *Vniuersalem* in priore quidem actu, in posteriore verò manere: ita tamen, ut *Vniuersalitas* non sit *Ratio QVÆ*, sed *mera Conditio, SVB QVA Natura prædicetur de Inferioribus*.

## XVII.

His probè perceptis, facile est intelligere definitiō nem vtriusq; *Vniuersalis*. Nam *Metaphysicum communiter dicitur ID, sc. unum vniuocè; QVOD APTVM EST, Aptitudine paulò antè descriptâ; VT PLVRIBVS (saltē possibilibus) secundūm nomen & rationem communem; IN SIT per Identitatem, qua verè dici possit: Hoc est Hoc; cum multiplicatione sui, specificâ vel Numericâ; & deniq; ut Totum, saltē Potestatiuum. Logicum *Vniuersale* describitur ID, QVOD APTVM EST DE PLVRIBVS PRÆDICARI, seu affirmari verè, vniuocè, propriè, intrinsecè, diuisim, ac secundūm naturam &c. Et verò quoniam facta hic est mentio de *Prædicationibus Vniuersalium*, Notandum, si hæc primò*

primò intentionaliter sumantur, *Concreta* quidem eorum, Vniversim & absolute loquendo, dici de *Concretis*, non item *Abstracta* de *Concretis*; aut *Concreta* de *Abstractis*: nisi vel sint aliena, vel transcendentia, vel (ut aliqui volunt) diuina, propter summam suam simplicitatem; vel demum nisi actionem significant, à forma abstractâ emanantem: veræ enim utique sunt hæ; voluntas vult, intellectus intelligit &c. vti & illæ; Entitas est ens, vel Bonitas est Bonæ, &c. teste Murc. h. c. q. 6. disp.. I. Quanquam & has Metaphysicis, & Istam, Deitas est Deus, Theologis relinquimus, ut pote iam agentes de *concretis* Vniversalibus propriè.

## XIX.

Sed & huiusmodi Prædicationes: *Virtus* est amabilis: vel; *Humanitas* est unita Verbo &c. procul dubio non sunt falsæ: adeoq; nec istæ; *Quoddam amabile est virtus*: vel, aliiquid unitum verbo est *Humanitas*, &c. Si quidem *Concreta* hæc accipientur in Conuertentibus ita, vti accepta fuerant in earum Conuersis. Quod addo propterea; quia alias, si eiusmodi concreta accidentalia supponerent pro subsistensibus (vti ferè solent cum subjiciuntur, saltem ea, quæ sunt quinti Prædicabilis) vtiq; non minus falsæ forent, quam hæ: *Homo* est rationalitas, vel rationalitas est *Homo*. Illa celebris propositio; *Quantitas* est quanta, nobis & alijs videtur admittenda; præsertim si Adiectiuū *Quanta* sumatur, prout idē est, quod *extensa*: (vt reuera videtur eā in prædicatione sumi) vt sic enim prædicatū illud *Quanta* non tam est concretū proprium (nisi voce tenus) quam alienum, scilicet sensu.

## XIX.

Porrò *Abstracta* (de *Realibus abstractis* adhuc nobis sermo est, ut antè de *realibus concretis*) ordinariè non censentur verè dici de *Abstractis*; saltem in sensu formalis. Nec enim veræ sunt: *Rubedo* est *Dulcedo*; vel *Animalitas* est *rationalitas*; et si & hæc in eodem Supposito, *Homine* sc. & illæ in eodem planè subiecto insint, nempe *Pomo*. Excipe tamen hinc ea *Abstracta*, tam *Substantialia*, quām *Accidentalia*, quæ subinde de *Abstractis*, tanquam Species aut Genera de suis inferioribus, directè ac formaliter prædicari amant: ut *Animalitas Bruti* est verè ac propriè *animalitas*: vel *Humanitas Christi* est verè ac propriè *Humanitas*. Item; *Colore* est *qualitas*; vel *albedo* est *color*. Hæc enim, & huiusmodi prædicationes æternæ veritatis sunt. Postremò si *Vniuersalia* considerentur secundò intentionaliter, non modò *Concreta* de *Concretis*, sed & *Abstracta* de *Abstractis*, & *Abstracta* de *Concretis*, & hæc de illis verè nonnunquam, ac formaliter (cæteris paribus) affirmari, constabit eunti per exempla in quibus tamen quām diligenter aduertas, est opus; ne de subiecto (quod sese habet ut totum quoddam habens in se formam) prædicetur id, quod vel habet se per modum partis præcisè ad illud, vel ab eo ita diuersum est, ut nulla penitus inter ipsa intercedat identitas, seu coniunctio.

## XX.

Supereft, antequam ad *Vniuersalia in specie* descendamus, ut, quoniam vidimus, quid sint, & quomodo prædicentur

tur Vniuersalia in Genere; ulterius indagemus, qualia sint,  
& quomodo siant. Et quidem, quia hic quoq; tam secun-  
dum Materiale, quam Formale spectari possunt, dicendum  
est I. ea, quemadmodum Materialiter sunt Res, varijs præ-  
ditæ naturis, ita etiam ut sic non esse rationis eiusdem;  
sed Corporea nonnulla, aliqua Incorporea: Corruptibilia alia,  
alia Incorruptibilia; omnia Æterna quoad essentiam, & exi-  
stentiam obiectuam in mente diuina. Dicendum II.  
Vniuersalia Formaliter, cum ut sic nec Entia sint, vtiq; neq;  
Corruptibilia neq; Incorruptibilia propriæ; nec Corporea, nec  
Incorporea (nisi merè negatiuè) multo minus æterna di-  
cenda esse: ut pote quæ & à nobis siant quotidie, & con-  
festim desinant existere, cum primùm desierint cogita-  
ri. Hinc dicendum est III. Vniuersalia fieri non per Ab-  
stractionem realem (quâ scilicet pomum ab arbore decer-  
pitur ita, ut & hæc & illud à parte rei maneant, etiam  
peractâ illâ separatione) sed per Intentionalem intellectus  
patientis; & quidem Præcisiam, non Negatiuam. Neq; enim  
inde facimus Vniuersale, quod & quatenus Naturam  
ab inferioribus remouemus; Negando eam de illis; sed  
directè ac seorsim apprehendendo sine illis.

## PARS SECUNDA.

*De Vniuersilibus in Particulari.*

## XXI.

Diuiditur Vniuersale Logicum (Idem senti proportiona-  
naliter de Metaphysico), diuisione Vniuocâ, Mediata &

Adæquatâ in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens, tanquam in species Infimas. Diximus autem 1. *Diffusione vniuersalâ*: quia Vniuersale in *Concreto ac Formaliter*, secundum quod nempe aptum est prædicari de pluribus absolutè, & abstrahendo ab his vel illis Prædicabilitatibus in specie, est ratio quædam communis, æqualiter ab Inferioribus participata, nec vltimis eorū differentijs inclusa, nisi forsan incompletè tantum; quod Vniocationi haud officit, vt in Summis Generibus *Substantia, et Qualitate* patet. Diximus 2. *Mediata*. Nam in immediatoria membra diuidi posse Vniuersale, facile colligitur ex eo, quod diximus 3. *Adæquatâ*. Aut enim Prædicabile quid est de multis *Essentialiter*, vt priora tria Vniuersalia; Aut *Accidentaliter*, vt duo posteriora. Diximus 4. *In Species infimas*: vt pote indiuisibiles in inferiores, cum se quælibet earum Specierum habeat instar Binarij, vel Ternarij, aut alijs cuiuspiam vltimi numeri, qui subdiuidi non poslunt nisi *materialiter*. Vt enim Binarius ouium *formaliter, in ratione primò intentionalis* Binarij, non differt à Binario Luporum, ita v. g. *Genus Substantiae* non differt *formaliter, in ratione secundò intentionalis* *Generis*, à *Generibus Quantitatis, Qualitatis, &c.*

## XXII.

GENVS strictè (prout hoc loco etiam alia Vniuersalia accipimus) est ID, QVOD DE PLVRIBVS, ET DIFFERENTIBVS SPECIE, IN EO, QVOD QVID EST, PRÆDICATVR. Ita Arist. 1. *Top. 5. & Por.*

Porphyr. c. 2. Quæ Definitio seu Descriptio, vt bene capiatur, paulò enucleatiùs explicanda est. Primum enim quando dicitur; GENVS EST ID, QVOD DE PLVRIBVS PRÆDICATVR, seu *Prædicari* potest; totum hoc videtur poni loco *Generis*: cùm idem planè sit, ac si dicas: GENVS est *uniuersale Logicum incomplexum*, seu *Natura substans uniuersalitati Logicae*. Deinde vero quando sequitur: ET DIFFERENTIBVS SPECIE; nos particulas has non eò interpretamur, quasi Genus non etiam de solo numero differentibus dici queat, sed quòd de his *Mediatè tantum*, & tanquam de subiectis *Secundarijs*; de illis prædicetur *Immediatè*, & vt de subiectis suis *Primerijs*. Imò etiam admittimus, prædicari subinde Genus non solum de specie tam infima quam subalterna, verum etiam de toto Genere. Summo differentibus, non quidem vt *Genus*, sed vt *Speciem* quandam *Specialissimam uniuersali respectu suorum Individuorum secundò Intentionalium*.

## XXIII.

Postremò cùm in allata definitione subiungitur: IN EO QVOD QVID EST; sic intellige. *Genus* prædicatur *Essentialiter*, & in modum *Absoluti*, seu *stantis per se*. Quibus particulis reiciuntur tria *vltima Prædicabilia IN QVALE*. Addunt aliqui; illis verbis innui etiam *Prædicationem uniucam*, ut ab ratione *Generis* excludant *Ens & Singularia*, singulariter atque ut sunt à parte rei, accepta. Sed an non & hæc, & illud sufficenter exclu-

excluduntur à Genere; cùm ipso judice Philosopho remouentur ab Vniuersali? I. poster. 8. & 3. Met. 2. De specie igitur maior forsan alicui videatur esse difficultas. Esto enim hæc de differentibus specie non dicatur vti Genus; quia tamen discrimin istud solum est accidentale (nisi plura quam quinq; Vniuersalia velis concedere, contra communem) ideo restat exponendum, in quo demum essentialiter distinguantur prima hæc duo Prædicabilia; cùm ambo prædicentur in QVID? Verùm Resp. 1. non tamen ambo prædicari in QVID, Completè. Ergo, inquires, alterutrum prædicatur vt PARS? Resp. 2. N. C. & Resp. 3. illud omne ac solum Prædicari completere. Quod (in formalis significatio) totam naturam particularium aperte significat: Vt homo respectu Petri, Pauli, &c. Id verò prædicari incompletè, quod aperte non significat totam, sed partem. Vt Animal respectu hominis, Bruti, &c. Ita Fonseca 5. Met. c. 28. q. 11. f. 2. Alij, si non Latinius, at ferè clarius, id, aiunt, prædicatur completè, quod in Recto significat totum, habens essentiam totam; incompletè autem, quod in Recto significat Totum, habens ynam duntaxat partem essentiæ.

#### XXIV.

Hinc deducas I. prædicari Incompletè hic non esse prædicari, vt partem; quemadmodum nec quodus dici vt totum est dici Completè. Adeoq; vti Genus prædicatur quidem vt aliquo modo totum; non tamen Completè, saltem quā Genus est: ita idem etiam dicitur de Inferioribus suis

bus suis Realibus Incompletè quidem; sed non ut pars. Dico autem; De inferioribus suis Realibus, aut certè secundò intentionalibus tantùm directè. Nam præter hæc *Genus in communi*, seu acceptum secundò intentionaliter reflexè, habet etiam alia quædam inferiora; indiuidua scilicet *Rationis*, seu secundò intentionalia itidem reflexè; e. c. varia *Genera in particula-*  
*ri: respectu quorum quia se Genus habet ut Species; ideo de ijs prædicatur in QVID Completè, veluti Species aliæ. Vnde facilè deducas II. non esse vitiosam Definitionem, à nobis ex communi suprà traditam; etsi in ea Genus definiatur per aliud quoddam genus, sc. Vniuersale: tum quia hoc quoq; evenit Generibus subalternis, quorum singula cùm sint quoq; Species, supra se habent et iam aliud Ge-*  
*nus, per quod definitur: tum quia, sicuti Vniuersale,* quatenus est genus quoddam in particulari, continetur sub Ge-  
*nere in communi, tanquam Individuum sub Specie: sic vicißim ge-*  
*nus, quatenus est vniuersale quoddam in particulari, continetur sub Vniuersali in communi, tanquam Species sub Genere. Atque adeò, quemadmodum Homo rectè definitur per suum Genus, nempe animal; eo quod sub hoc continetur, tanquam Species; sic etiam GENVS, quod est Species vni-  
*versalis, rectè vtiq; definitur per hoc ipsum suum Genus,* sc. vniuersale.*

## XXV.

Deducas III. Definitum in Definitione Generis non esse Generis statem in abstracto, neq; verò etiam Naturam aliquam secundùm se nudè, ac materialiter sumptam, sed

D

naturam

naturam substantem Genereitati, adeoq; *Genus formaliter* & in concreto. Neq; enim Generitas est id, quod prædicatur de differentibus specie; ergo nec id, quod h̄ic definitur, sed tantum id quo, seu conditio, sine qua nec definiretur, nec prædicaretur natura secundūm se; cūm ut sic essentialia duntaxat, aut essentialibus proxima includat; inter quę nec Definitio Generis est, nec Prædicatio. Idem dic de Totalitate Potentiali; sub qua itidem, tanquam sub Conditio-  
ne SINE QVA NON, prædicari *Genus* de suis inferio-  
ribus, innuebamus, *Th. præced.* QVÆRES primò, an *Genus*  
possit saluari in vnica specie? R. det recte Samuel de  
Lublino h̄ic a. 4. Concedendo quo ad *Essentiam*: Negando quoad  
Potestatem. Quis enim inficietur, posito solo homine  
positum iri Animal essentialiter; etiam si omne brutum  
implicaret? & tamen ut sic, quoniam Animal nec con-  
trahi ad plures Species, nec de pluribus specie differen-  
tibus prædicari posset, hoc ipso vtiq; *Genus* nō foret. Ut  
adeò sibi Lubliniana illa distinctio plus nō velit, quām  
*Genus* saluari quidem in vna specie Materialiter, non  
autem Formaliter. QVÆRES secundò An & quomodo  
*Genus* contineat differentias sui diuisiuas, seu consti-  
tutiuas suarum specierum? R. det quidem Aristoteles  
absolutè negatiuè; *Genus*, inquiens, non videtur particeps  
esse differentiarum: simul namq; contrariorum idem participaret:  
differentie nāmq; contraria sunt, quibus *Genus* differt 7. Met. I 4.  
& 4, Top. 2. Sed distinctiūs Porphyrius c. 4. ait; Potestate  
quidem omnes earum, quæ sub se sunt, specierum differentias habet  
*Genus*

Genus; *actu* verò nullam; saltem per se immediatè, formaliter, ac distinctè.

## XXVI.

SPECIES (vt secundum uniuersale Logicum constituit) est ID, QVOD DE PLVRIBVS, AC DIFFERENTIBVS NVMERO, IN EO QVOD QVID EST, PRÆDICATVR. Ita Porphyr. c. 2. Quasi dicas: *Species infima* (quam alij Atomam, alij Specialissimam vocant, eo quod diuidi nequeat in *Species Specialiores*; quemadmodum *Subalterna*) est Natura quædam Vniuersalis, essentialiter, substantiue, completere, & immediatè prædicabilis de pluribus Individuis tantum; & non etiam de speciebus, vt *Genus*. Definitum hinc VT QVOD patet tum hinc, tum ex dictis, vti & illud, an & quomodo *Species* saluari possit vel in uno vnico *Individuo*? proportionaliter siquidem quoad vtrumq; respondendum est idem fieri in *Specie*, quod in *Genere*. Porrò *Individuum*, primò intentionaliter acceptum, quod est proximus terminus atq; adæquatum subiectum *Speciei Infimæ*; definitur *Id*, quod de uno solo prædicatur: intellige non *Actu* & *Formaliter*; Sed identicè, atq; *aptitudinaliter*. Huius aptitudinis fundatum proximum est ipsa materialis unitas seu individuatio numerica, quam *Singularia* habent à parte rei, sine omni operâ intellectus. Vnde & patet, Aptitudinem hanc ijs couenire Re non Ratione tantum; sicut *uniuersilibus* sua solet Aptitudo conuenire in ordine ad prædicandum. Diuiduntur *Individua* in *Individua Rationis ac Realias*,

ha. De illis dictum Th. 22. & 24. Ex istis Hypothetica, uti tantum sunt Individua ex suppositione; ita Absolutè possunt esse vniuersalia. Tale individuum est filius Sophronisci: posito quòd hic vnicum habuerit Socratem. Individua verò cùm ex Demonstratione (vt hichomo, hic equus, &c.) tum ex Nomine (vt Ioannes, Andreas, &c.) vniuersalia non sunt propriè: uti nec Individua vaga, saltem, specifica. Ratiorēm deduc ex dictis.

## XXVII.

DIFFERENTIA Propriissima (Propria & Communis ad postrema duo Prædicabilia pertinent) est ID, nempe *Vniuersale*; QVOD DE PLVRIBVS (siue specie, siue solo numero) PRÆDICATVR IN QVALE QVID: seu, vt alijs placet, IN QVALE ESSENTIALITER. Quæ verba nihil aliud indicant, quam Tertiam hanc vniuersalis Logici speciem dici de suis Inferioribus in modum quidem Essentialis; sed Adiacentis, seu Connotatiui, non Absoluti seu subsistentis per se. Quæ ipsa proin vocabula satis declarant discrimen inter hoc, & reliqua Vniuersalia: omnia enim ista dicuntur vel accidentaliter tantum, vel in quid, vt patet partim iam antè, partim patebit paulò post. Describi solet præterea Differentia etiam alijs quibusdam descriptionibus, petitis ex varijs illius muneribus, quibus fungitur. Hinc est, quòd eadem interdum & Divisa Generum, & Constitutiuæ Specierum appelletur: Itē quòd alia Generica, alia Specifica dicatur: esto differentia specifica non faciat aliud specie vniuersale ab eo, quod facit differentia Ge-

tia Generica: cùm ambæ eodem modo prædicentur de pluribus, licet non de ijsdem. QVÆRES. *An Differentiae inferiores formaliter includant superiores?* R<sup>2</sup>. Negatiū: tum quia opposita ut opposita planè essent idē: couenirent enim in eodem conceptu formalis, in quo different: tum quia insignis committeretur nugatio, quotiescunq; fieret definitio, præsertim per differentias medias: quam tamen definitionem Aristoteles non modò non improbat, sed & ipsémet, teste Lorin. q. 3. propos. 3. frequenter usurpat. Accedit, quod Differentiae inferiores tantum materialiter & in concreto inuoluant suum Genus; ergo & Genericas differentias. Vel certè si formaliter & in abstracto includuntur Superiores in Inferioribus; quōmodo aut illæ sunt Uniuocæ, aut istæ Simplices? iuxta 7. Met. I. 43. & c. 5. de Substant. in Categ.

## XXVIII.

PROPRIVM quarto modo (alia aliò spectant) si secundum se, ac primò intentionaliter consideretur; à Philosopho dicitur *Id, quod non declarat, quid res sit, sed soli inest, & cum re reciprocatur.* 1. Top. 5. Hinc ab alijs etiam non malè describitur *Id, quod omni, soli, ac semper conuenit.* Ex quibus duplex huius proprij necessitas colligitur, nim. ex sua parte, & ex parte subiecti Totalis & Immediati. Quia, si homo est, inquit porrò Arist.ib. Grammaticæ susceptius est; & retro, si Grammaticæ susceptius est, homo est. Quam proinde dupliē necessitatem, exigentiā tenus planè Metaphysicam, Affektio hæc communem habet cum ipsa Differentia: nisi quod hæc Naturā cuiusq; formaliter constituat; illa è sic constitutâ Naturâ

inimpedibiliter emanet. Atq; hæc tam necessaria Propri  
ex Essentia, tanquam ex Radice, & causâ suâ adæquatâ, ema  
natio, atq; indissolubilis cū eadē connexio ansam dedit;  
vt, qui vel mente huiusmodi Passionē à Naturā tolleret, tolle  
re quoq; Naturam ipsam per consequens, communi omniū  
judicio censeretur. Aristoteli atq; Porphyrio Proprium  
hoc dicitur tale propriè ac per se; eo nempe quòd dicatur in  
secundo statim modo dicendi per se; item quòd soli conueniat,  
& vniuersaliter; vniuersalitate temporis, & subiecti. Hinc idem  
quoq; Proprium absolute, & sine addito denominatur, q.  
per Antonomasiam: vt adeò etiam hīc Termini, simpliciter  
prolati, stent pro principaliore significato.

## XXIX.

Quòd si PROPRIVM spectetur secundò intentionaliter,  
& vt hoc quartum Prædicabile constituit, definiri solet ID,  
QVOD DE PLVRIBVS PRÆDICATVR IN QVA  
LE ACCIDENTALITER, AC NECESSARIO. Di  
citur I. Prædicari de pluribus pluritate vel Specificā, si Gene  
ricum; vel solum Numericā, si Specificum sit Proprium. Vbi no  
ta, hīc non esse sermonem de prædicatione Reciproca; hæc  
enim Aptitudinaliter conuenit Proprio re ipsâ, & quidem  
tantùm respectu subiecti adæquati: sed de prædicatione non  
Reciproca, quæ conuenit Proprio, vt est Uniuersale, respectu  
Inferiorum seu subiectorum inadæquatorum: de quibus, diu  
sim ac singillatim sumtis, non dicitur conuersim, vtpote ijs,  
vt sic, Superius ac latius patens. Vnde obiter colliges, Propri  
um secundùm diuersam rationem etiam esse Commune, &  
modò

modò Prædicabile Reciprocum, modò non Reciprocum. Dicitur 2. Prædicari in Quale accidentaliter; ad distinctionem à tribus primis: *Ac Necessariò*; ad differentiam ab ultimo *Vniuersali*. Etsi enim hoc quoq; subinde sit necessarium; quia tamen ea necessitas aut est physica duntaxat, aut non *mutua*, nec orta semper ex *intrinsecis principijs* subiecti, sed sæpe tantùm proueniens ab *agentibus extrinsecis*, ad productionem subiecti hoc vel illo modo concurrentibus; ideo *Accidens*, quod est *Quintum Prædicabile*, haud accedit ad rationem *Quarti*. Hoc enim, et si & *Subjectum* absq; ipso conceipi *essentialiter* possit, & ipsum de *Subjecto secundùm quid negari*; (neq; enim *Homo* est risibilis, multo minus risibilitas, in primo modo dicendi per se; cum hæc sit extra essentiam illius) nihilominus tamen *simpli- citer atq; absolutè negare Proprium Subiecto adæquato*, seu omnino tollere, est *consecutiū ipsum subiectum tollere*: ac negare.

## XXX.

Secus se habet res cum *Quinto Prædicabili*: hoc namq; primò *intentionaliter* Philosopho est *Id*, quod cuius rei (respectu cuius est *accidens*) *vni* & *eidem* potest inesse, & non inesse; ut sedere potest eidem alicui inesse, & non inesse; similiterq; *al- bum*: nihil enim prohibet, quo minus idem modò sit *album*, modò non *album*. i. *Top. 5.* Alijs sic describitur *Accidens* hoc: *Est ens reale ac posituum*: (nempe *Phorphyrium* non nisi de huiuscmodi *Accidente locutum autumant*) quod nec *Genus* est, nec *species*, nec *differentia*, nec *proprium*; inest tamen rei, Aptitudinaliter saltem, atq; inhæsiuè. Verum, quoniam hæc de- scriptio

scriptio ferè tantūm est. *Negatiua*, nec facilē intelligitur  
 antè, quām cognoscantur omnia ea, quæ per illā ab *Acci-  
 dente* remouentur; ideo Aristoteles l. c. censet priorē esse  
 meliorē. Cui proinde Porphyrius rectē cōformauit suā,  
 cū c. 6, ait: *Accidens est, quod (successiuē & in potentia) adest  
 et abest sine subiecti interitu: seu, quod idem est, saluo interim  
 semper essentiali conceptu subiecti, ita ut hic neq; for-  
 maliter, neq; consecutiue eueratur, seu præsens in subiecto  
 insit, seu absit *Accidens*.*

Atq; huius incolumitatis essen-  
 tialis negationem communiter intelligunt per *Interitum*  
 illum, quem alij *Logicum*, alij appellant *Metaphysicum*.  
 Ex his proclive est cuius intelligere etiam descriptionē  
*secundō intentionalem* Quinti Prædicabilis, vt tale est: quæ  
 sīchabet: **ACCIDENS** (siue *Prædicamentale*, siue *nō*)  
 est ID. **QVOD DE PLVRIBVS PRÆDICATVR**  
**IN QVALE ACCIDENTALITER, ET CONTIN-**  
**GENTER.** Discriben quoq; huius *Vniuersalitatis* à cæteris  
 tute ipsius haud difficulter colliges, miLector. Nos, vt  
 pote à *Generalissimis usq; ad Specialissima descendentes*, Plato ju-  
 het hic quiescere. Quare hæc quantulacunq; de *Vniuersali Logico* potissimum, seu *In Prædicando*, tam in Genere quām in  
 specie, ad maiorem *Singularissimi* illius, ac maximè *Metaphy-  
 sic*, *Vniuersalis in Causando* gloriam dissertata sunt.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

F I N I S.